

talis Sermo sacer, talis Crater, talis Clavis, talis Pupilla seu Virgo mundi: inde in Monodia hoc eius praeceptum:⁴ *Nemini, o fili, aperias regenerationis traditionem.* Hunc morem Moses est secutus, cum legum libros solis sacerdotibus et aperuit et custodiendos
 5 commendavit, cum omnia eius scripta figuris [294] ac velaminibus adumbravit, unde Cabala illa secretissima orta. Hunc eundem morem prophetae omnes sanctissimi observarunt: non nisi sub figuris ac aenigmatibus sunt locuti. Hinc ergo fabulae Orphei
 ortae sunt, aenigmata, figurae, hinc initio poematis sui profanos
 10 ab intelligentia arcet:⁵ *Loquar, quibus fas est, fores claudite profani omnes.*

Hunc secreti morem Plato in Phaedone intelligit cum ait:⁶ *Is namque, qui in arcanis dicitur sermo, quod in custodia sumus nos homines, nec licet se ipsum ex ea se solvere nec aufugere, magnus quidam*
 15 *mihī videtur, nec facilis ad cognoscendum.* Fabulas Orphicas Homerus atque Hesiodus reliquique theologi sunt imitati, nec non poetae alii innumeri minorum gentium. Quod Platonis atque Aristotelis ipsius multis testimoniis comprobatur. Ille enim in
 2. Alcibiade scribit:⁷ *Est vero sui natura poetica universa aenigmatica nec cuiusvis hominis est eam cognoscere.* Et 1. Rei publicae:⁸
 20 *Aenigmatice ergo dixit, inquam ego, ut videtur, Simonides ac poetico more iustum, quid esset.* Et libro 2:⁹ *Quos Hesiodus et Homerus nobis dixerunt et alii poetae, isti enim fabulas hominibus falsas componen-*

⁴ μηδενί, ὦ τέκνον, ἐκφαίνων τῆς παλιγγενεσίας τὴν παράδοσιν. [CORP. HERM. De regenerat. XIII, 22.5]

⁵ φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι πάντες [CLEM. Al. Protr. 7.74.4.1–2]

⁶ ὁ μὲν οὖν ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, ὡς ἐν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι. καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν, μέγας τέ τίς μοι φαίνεται καὶ οὐ ῥάδιος διιδεῖν. [PLATO, Phd. 62.b.2–6]

⁷ ἔστι τε γὰρ [ἔστι δὲ] φύσει ποιητικὴ ἢ σύμπασα αἰνιγματώδης καὶ οὐ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. [PLATO, Alc.2 147.b9–c.1]

⁸ ἠνίξατο ἄρα, ἦν δ' ἐγώ, ὡς ἔουκεν, ὁ Σιμωνίδης ποιητικῶς τὸ δίκαιον ὁ εἶη. [PLATO, R. 332.b.9–c.1]

⁹ οὗς Ἡσίοδος τε, εἶπον, καὶ Ὀμηρος ἡμῖν ἐλεγέτην, καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταί. οὗτοι γὰρ πού μύθους τοῖς ἀνθρώποις ψευδεῖς συντιθέντες ἔλεγον τε καὶ λέγουσι. [PLATO, R. 377.d.4–6]